Sit omnibus notum. Quod ego Petrus Bosch filius et heres Guillelmi Bosch quondam parrochie Sancti Cipriani de Lirone, certa sciencia confiteor et recognosco vobis venerabili Berengario dei gratia preposito monasterii Sancti Martini de
Costa Dimde (?) quod racione dicti monasterii sum et esse debeo homo proprius et solidus vester et monasterii supradicti et successorum vestrorum in eodem monasterio cum prole et rebus meis mobilibus et se moventibus presentibus et futuris eo quod sum
heres et tenens unius mansi vocati mansus Bosch dicti loci, quem teneo sub dicto domino vestro et monasterio supradicto. Et quia dictum mansum teneo et tenere debeo et consuevi pro vobis et dicto monasterio et successoribus vestris in eodem prout continetur
et declaratur in capibrevio per me et dictum parentem meum quondam facto venerabili Guillelmo dei gratia preposito dicti monasterii predecessori vestro in ipso monasterio quod capibrevium confectum fuit quartodecimo kalendas octobris anno domini
millesimo trecentesimo quadragesimo secundo et clausum per Raymundum de Brugia notarium Gerunde ut in eo plenius continetur. Quod siquidem capibrevium et contenta ac specificata in eo cum presenti publico instrumento laudo ratifico
corroboro et confirmo et ea vera esse confiteor et recognosco ut in eodem capibrevio continetur. Salvo quod corrigendo in eodem addo et dico quod pecia terre bosch et vinee in Millarede (?) in dicto capibrevio non
nominata et confrontata vocata Gimestar (?) affrontat a meridie in pecia quam teneo pro ecclesia Sancti Cipriani de Lirone, licet in dicto capibrevio contineatur quod illa des confrontacionis tenetur pro ecclesia Sancti Cipriani de Alleis (?)
Et sic promitto vobis et vestris successoribus in dicto monasterio et prepositura me esse vobis et eisdem successoribus vestris bonum fidelem et legalem de corpore et anima et de omnibus iuribus vestris tamquam bono domino et habere et recla-
mare vos et successores vestros in dicto monasterio pro dominis meis naturalibus ubique. Et non faciam vel procurabo aliquid oculte vel manifeste ex quo possitis perdere dominium quod in me et rebus meis habetis nec aliquis alius sibi
adquirere. Et iuro per deum et eius sancta quatuor evangelia per me corporaliter tacta predicta fore vera rata et firma habere et in posse notarii infrascripti tamquam publice persone nomine quorum interest et intererit stipulantis et
recipientis. Et nichilominus facio vobis homagium pro predictis ore et manibus comendatum. Quod fuit actum et dicto Petro Bosch firmatum et iuratum ut predicitur septodecimo kalendas decembris anno domini millesimo trecentesimo
quinquagesimo. Presentibus testibus Raymundo Median (?) et Guillelmo Poncii canonicis dicti monasterii.

Sig+num Raymundi de Parietealto notarii publici substituti auctoritate regia a Bn. de Toylano (?) publico Gerunde notario, hec a notis acceptis per Petrum Amici similiter auctoritate substitutum quondam notarium publicum scribi fecit et clausit.

Alou en S. Cebria de Ledo

Perg. 86

MADRID

P. nu.° L. 517. tit.° 5

Tibau p. lo mas Bosch 4 dy

3 porratges en Cebria Cirera